

XLVI. Chrisma semper sit in sera <sup>a</sup> propter quosdam infideles.

XLVII. <sup>b</sup> Quisque presbyter expositionem Symboli vel Dominicæ orationis habeat scriptam juxta traditionem orthodoxorum Patrum, et eam pleniter intelligat, et inde prædicando populum sibi commissum assidue ore instruat. Orationes missarum, præfationem canonis, eundem canonem pleniter intelligat, ut memoriter ac distincte proferre valeat. Epistolæ et Evangelii sensum saltem juxta litteram sciat. Psalmorum verba et distinctiones memoriter teneat. Exorcismos et orationes ad catechumenum faciendum,

<sup>a</sup> Vict. addit, *aut sub sigillo.*

<sup>b</sup> Quæ sequuntur desunt in codice Victorino, quorum loco hæc leguntur: « Volumus autem, fratres charissimi, quatenus quæ nostra percepistis traditione, quantum humana patitur infirmitas, bonis B

ad baptismum consecrandum, et preces super mascululum et feminam singulariter et pluraliter distincte proferre sciat, et ordinem baptizandi ad succurrendum infirmis, et ordinem reconciliandi secundum auctoritatem canonum, et ordinem unguendi infirmos, et ordinem in exsequiis defunctorum, exorcismos quoque et preces super salem et aquam, cantum nocturnum et diurnum, compotum si non majorem, saltem minorem, id est, epactas, concurrentes, regularesque terminos, Martyrologium, Pœnitentialem unumquisque habeat.

studeatis operibus adimplere, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen. »

## IV.

### <sup>a</sup> TRACTATUS

*Utrum animæ de humanis corporibus exeuntes mox deducantur ad gloriam vel ad pœnam, an expectent diem judicii sine gloria et pœna.*

(Ex Maio, Script. vet. Nova Collectio.)

Serpens ille veterosus, qui dudum contra catholicam fidem hæreticorum linguas exacuit, nunc quoque cujusdam <sup>b</sup> Arseniotis labia erroris sui veneno infecta, post illorum perenne silentium, ad relivivas blasphemias aperire satagit. Insibilans enim per eundem submurmurat virum, si tamen res ita se habet ut de illo fama vulgavit, quod ante novissimum examinis diem nullus electus regna cœlorum, nullus reprobos loca penetret inferorum. Quod nimirum pravæ hæreseos dogma si vel ad momentum recipiatur, magnum fidelibus detrimentum afferre probatur: facit enim eos et ad vitæ gaudia quærenda pigerrimos, et ad gehennæ supplicia vitanda nimis incautos. Contra quem utique facilis est mihi congressus, quia omnes rectæ fidei assertores mecum destruunt ejus conatus; nullus namque ei patriarcharum, nullus prophetarum, nullus consentit apostolorum: non scilicet Moyses, non David, non Salomon, non Isaias propheta, non ullus post Isaiam alius propheta, non Petrus apostolus, non Paulus, non Joannes, non Matthæus, non Judas, non Jacobus, non Lucas, non Marcus: sed nec ullus omnino catholicæ fidei tractator post istos hujus errorem attemptasse aliquando fuit inventus. Et ut egregios memorem de multis, non Gregorius Nazianzenus, non Joannes Constantinopolitanus, non Pictaviensis Hilarius, non Mediolanensis Ambrosius, non Hippone-regius Augustinus, non Bethlehemiticus Hierony-

mus, non Alexandrinus Cyrillus, non ita docuit Gregorius papa Romanus. Horum certe plura ego <sup>c</sup> in sanctis tractatibus legi, sed in his huic simile nusquam inveni. Quis autem non videat quantæ sit temeritatis, quantæque dementiæ, quemlibet unum mendacem homunculum contra tot veracissimos insignisque virtutis testes, sine teste congrédi velle? Sed necesse est ut hoc quod veritatis defensione nudis verbis asserimus, vestitis sententiis plenius indagemus.

Veritatis igitur scripturam sequentes, ostendamus primo, si placet, ante adventum Mediatoris in carnem omnes reprobos omnesque electos ad infernum descendisse, quanquam inter hos et illos diversa merita magnum firmaverint chasma; ac deinde post ejusdem sacratissimam mortem, et electos ad regna cœlestia, et reprobos ad loca pervenisse pœnalia. Quod enim ante incarnatam Dei sapientiam peccatores ad inferna descenderint, Mosaica testatur auctoritas, quæ Dathan et Abiron eorumque socios, terra sorbente, ait, descenderunt in infernum viventes. Et hæc quidem illa specialiter de quibusdam; generaliter vero de cunctis Davidica promittitur æque sententia, qua dicitur: *Sicut oves in inferno positi sunt, et mors pascet eos* (Psal. XLVIII, 15). In libro quoque, qui Salomonis Sapientia prænotatur, enarratis multis reproborum miseris, ipsa Sapientia ita concludit dicens: *Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt* (Sap. v, 14).

<sup>a</sup> Tractatum hunc ex antiquissimo codice Rom. Casanatensi, anno 812 scripto, sumpsisse se adnotavit Laur. Zacagnius, qui prelo commissurus erat, nisi morte fuisset interceptus.

<sup>b</sup> Arsenii cujusdam, quem alterum Jeremiam vocat, meminit Paschasius Ratib. De corp. et sang. Dom., in prologo. ZACAGNIUS.

Quod autem etiam electi, et si forte non omnimoda, quedam tamen inferorum adierint loca, idem hoc de se ipsis attestantur. Jacob enim patriarcha beatus, unius sublatis filii mœrore contractus, nullaque cæterorum consolatione delinitus ait: *Descendam ad filium meum lugens in infernum* (Gen. xxxvii, 35). Job quoque super omnes justos suis temporibus ore Domini collaudatus, de semetipso loquitur dicens: *In profundissimum infernum descendent omnia mea* (Job xvii, 16). Et rursus: *Si sustinero, inquit, infernus domus mea est* (Ibid., vers. 13). Rursumque Deum exostulans dicit: *Quis mihi tribuat ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* (Job xiv, 13.) David etiam secundum carnem Christi pater electus, de se ac de cunctis viventibus sciendo interrogat dicens: *Quis est homo qui vivit, et non videbit mortem?* aut quis eruet animam suam de manu inferi? (Psal. lxxxviii, 49.) Ac si aperte dicat, quantum ad præsens attinet tempus, nullus omnino.

Ad electorum igitur animas de inferno liberandas Christus erat exspectandus, quem videlicet Joannes Baptista in carcere positus, missis discipulis rogavit dicens: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* (Luc. vii, 19.) In quibus utique verbis aperte notandum, quia spiritus prophetice visionis, qui eundem Joannem de præterito jam docuerat, adhuc de futuro certum non fecerat; atque ideo quem jam venisse pro certo sciebat, adhuc venturum ambigebat: quia enim mundi Redemptor nascendum in mundum advenerat, beatus hoc idem Baptista jam liquido noverat, secundum illud quod præcurrrens de eo clamaverat: *Ego vidi et testimonium perhibui quoniam hic est Filius Dei* (Joan. i, 34). Et ad discipulos: *Ecce, inquit, Agnus Dei* (Ibid., vers. 36). Sed si moriendo ad inferos per semetipsum esset venturus, omnino necdum agnoverat; et inde est illud præmissum, quo requirebat, *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Ac si ei diceret, ad ergastula tuorum mox descensuro patenter insinua, quem illis liberatorem venturum esse denuntiarem, te quem jam venisse mundo nuntiavi, an alium quem pro te mittendum hæcenus ignoravi? Tu nos inde extrahes per sanguinem sacratissimæ passionis, an alius ignotæ legationis? Quia vero non per quemlibet alium, sed per semetipsum id fecit, prædicto Joanni ex obliquo mandavit. Sed manifestius illud Zacharias aperuit, qui hoc quod certissime futurum esse prævidit, jam quasi factum narravit. Sic enim ad eum qui inferos captivavit presentialiter ait: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, ubi non est aqua* (Zach. ix, 11). Et qui sunt isti vincti nisi, ut Hieronymus docet, justi antiqui? Unde autem vincti, nisi ex prævaricatione reatus primi? Et quis iste lacus in quo tenebantur captivi, nisi loca sunt inferi ubi non est, ut dicitur, aqua, videlicet requies ulla? Inde est etiam illud quod dives ibidem inflammatum, guttam aquæ ad linguæ refrigerium quærit, et non invenit. Quod si ita est, quomodo Abraham ab eo se

A paratus, in requie cum Lazaro est, et ne ad se invicem transire possent, inter electos ac reprobos magnum chasma firmatum?

An forte prædictum chasma inter bonos et malos objectum non locorum spatia, sed actorum dirimit merita? Mirum autem et valde mirum, si tenes ita. Nam et Job, cui similis in terra non erat, ad pœnalia loca iturum se esse clamabat, cum diceret: *Planctum dolorem meum antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine, terram miseriæ et tenebrarum* (Job, x, 20-22). Absit autem ut illic Abraham et Job loca disjungerent, quos hic fides et opera inseparabiliter conjunxerant; atque horum illuc unus ad requiem, alter destinaretur ad miseriam; horumque unus in lumine, alter ibi sederet in mortis caligine. Videamus itaque utrumne etiam Job præfatus ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine, ad terram quoque miseriæ et tenebrarum perductus in Abraham fuerit requie collocatus. Idem denique, cum lacrymosius hoc quod supra protulimus, diceret, *in profundissimum infernum descendent omnia mea*, continuo præsumptiva dubitatione subjecit, et ait: *Putasne saltem ibi requies erit mihi?* (Job, xxvii, 16.) Nos autem ista dicentes, nequaquam temere affirmamus non fuisse apud inferos loca divisa inter electos et reprobos, cum tamen potuisset fieri ut sic inter hos et illos sola merita dividerent, sicut inter regis Babylonice ministros, et Danielis socios justitia sola distinxit, nam una eademque fornacis flamma et illos consumpsit et istos servavit. Sic denique aqua maris Rubri, et Israelitis ad manna vescendum iter præbuit, et Ægyptiis ad mortis supplicium foveam ministravit. Hoc itaque cum magna dicimus auctoritate loca fuisse pœnalia, quæ Christus propter suorum ereptionem per semetipsum judicavit esse lustranda, Petro attestante, qui de illo ait: *Quem Deus suscitavit a mortuis, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo* (Act. ii, 24). In quibus profecto verbis solerter notandum, quoniam nemo apud inferos liber a dolorum vinculis, præter eum qui solus veraciter dixit: *Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber* (Psal. lxxvii, 5). Atque ideo solus non potuit tartarea manu vinctus teneri, quia solus non habuit peccatum quod dolorum ejus nexibus posset arctari. Indeque solus ab inferni doloribus alios liberare valuit, unde ipse eosdem dolores non sensit.

Scio autem quemdam inter magnos tractatores hæc verba ita sensisse, ut non in patriarchis atque prophetis, sed in aliis longe ab istorum sedibus positis, præfatos dolores solverit Christus; et tamen non est ausus dicere, eos quos iisdem dolorum nexibus solvit, non fuisse electos; quod utique si diceret, mendax profecto appareret. Concedamus itaque quod non fuerint patriarchæ atque prophetæ, sed alii, et tamen electi, qui minus de perfecta justitia habentes, inferni doloribus fuerint obligati. Sed si plena ibi patriarcharum ac prophetarum quies, plenaque erat consolatio, quæ illis necessaria Christi exspectatio?

An non erat Joannes propheta et plus quam propheta, qui ex sua aliorumque prophetarum persona, ut supra meminimus, Redemptorem mundi requirebat dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* (Luc. vii, 19.) Certe expectabant eum isti vincti in lacu, ubi non est aqua; et mirum si aliis vinculis astricti, nisi his quæ Petrus per Christum soluta narravit. Coarctat nos rursus hæc quæstio, ut dicamus quomodo ibi Lazarus in sinu Abrahæ consolabatur, si dolorum vinculis astrictus tenebatur? Sed faciamus distinctionem inter dolorem et dolorem, et hanc, ut arbitror, facilius absolvimus quæstionem. Cruciantur itaque apud inferos iniqui simul et justi, sed non pari modo isti et illi, quia illi omnimoda ignis gehenna, isti sola mentis tristitia; illi quia foris ardebant, isti quia intus mœrebant; illi consolari non poterant, quia in tormentis refrigerium nullum habebant, isti quamvis tristarentur, quia diu a cœlesti patria exsulabant, tamen consolabantur, quia exterior illos reproborum ambustio non vexabat.

Ergo quod de lacu dicitur, quia non est in eo aqua, non ad electorum mentis dolorem, sed ad reproborum pertinet exteriorum ignis ardorem; in quo videlicet, quia ultrix est flamma, nec una saltem ad refrigerium aquæ suppetit gutta, quam nisi ex fluentis electorum hauriri posse cognosceret, dives ad Abraham minime diceret: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aqua, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma* (Luc. xvi, 24). Ita plane non esse contrarium dicimus apud inferos dolorum vinculis religatos fuisse justos antiquos. Sed quid? Sive certam, sive dubiam de inferno in hac parte protulerimus sententiam; hoc tamen veracissime dicimus, quia Dei Filius indebitam pro nobis mortem exsolvens, quoquo pacto in quibuslibet fuerit factum, solutis doloribus inferni, suos inde tantum reduxit; sicut ipse per Osee ante prædixit: *Ero mors tua, o mors; ero morsus tuus, inferne* (Ose., xiii, 14). In quibus profecto verbis solerter pensandum est, quia Redemptor noster mortem quidem funditus occidit, sed nimirum in parte quam ipse glutivit; cæterum mors in parte quæ remansit, permansit. Dicitur igitur, *ero mors tua, o mors*, ac si diceretur, in præda, quam capio, te funditus interimo. *Ero morsus tuus, inferne*, hoc est, non te totum deglutio, sed partem ex te mordens consumo. Neque enim, ut catholica fides præfixit, alios inde quam suos interventu beatissimæ passionis ad superos reduxit.

Sed jam ordo præmissus deposcit, ut post ereptionem ab inferis veterum justorum, ostendamus quo isto nunc tempore recipiantur animæ perfectorum. Cœlorum etenim Magister, qui nullum aliquando

<sup>a</sup> Nempe quod attinet, vel ad patiendi modum, vel ad stationem inferam justis injustisque communem.

<sup>b</sup> Hic est Gennadius de ecclesiasticis Dogmatibus, inter sancti Augustini Opera, cui perperam tribuitur, editus. Exstat adhuc in Vaticanæ bibliothecæ codice 5845 Dionysii Exigui collectio canonum, cum appendice antiqua usque ad tempora Caroli Magni, cujus ævo scriptus etiam est ille codex: in ea autem

A fefellit, talem hinc sententiam firmavit, ut diceret, a diebus Joannis Baptistæ *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt i lud* (Matth. xi, 12). O tu doctor novi erroris, nunquid tantum in die iudicii regnum cœlorum violenti diripiunt? ut diabolus per os tuum construxit, et non potius a diebus Joannis? . . . . .

*Hic deest folium unum.*

. . . illa si placet, de multis sufficiant ista; si vero propter exiguitatis meæ personam in dubium veniant et ista, necessarium reor generali catholicorum sententia, verum me in his quæ dixi testem approbare. In ecclesiasticorum etenim dogmate<sup>b</sup>, quod distinctis sententiis uno volumine comprehenditur, quodque per universum orbem a cunctis recipitur, ab omnibus defenditur, summaque laude celebratur, titulo quadragesimo quinto ita scribitur: « Ante passionem Domini omnes animæ sanctorum in inferno sub debito prævaricationis Adæ tenebantur, donec auctoritate Domini per indebitam ejus mortem de servili conditione liberarentur. » In sequenti quoque titulo, hoc est quadragesimo sexto, talis auctoritas continetur, ut dicatur: « Post ascensionem Domini ad cœlos, omnes sanctorum animæ cum Christo sunt, et exeuntes de corpore ad Christum vadunt, expectantes resurrectionem corporis sui, ut ad integrum et perfectam beatitudinem cum ipso pariter immutentur. Sicut et peccatorum animæ in inferno sub timore positæ, expectant resurrectionem sui corporis, ut cum ipso ad pœnam convertantur æternam. » Hæc omnium præcedentium ac subsequentium et una et singularis et generalis est Patrum sententia: cui merito concordans beatus Gregorius papa Romanus præsul apostolicæ sedis, tractatorum quidem ultimus, sed penè omnium egregius, in quarto Dialogorum libro ad inquisitionem collocutoris sui ita respondit dicens: « Constat quia perfectorum justorum animæ, mox ut hujus carnis claustrum exeunt, in cœlestibus sedibus recipiuntur. Quod et ipsa per se Veritas attestatur dicens: *Ubiunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ* (Luc. xxvii, 37); quia ubi ipse Redemptor noster est corpore, illuc colliguntur et animæ justorum. Et Paulus *dissolvi desiderat, et cum Christo esse*. Qui ergo Christum in cœlo esse non dubitat, nec Pauli animam in cœlo esse negabit: qui etiam de corporis sui dissolutione atque habitatione patriæ cœlestis dicit: *Scimus quoniam si terrestris domus non habens habitatorem dilabitur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manu factam, sed æternam in cœlis.* » (II Cor. v, 1.)

Ilæc ille de justis atque perfectis. Quid vero de

appendice legitur inter alia Gennadius de ecclesiasticis Dogmatibus sub nomine sancti Augustini: unde colligi potest cur hic auctor anonymus, et Carolo Magno coævus, affirmet hunc Gennadii librum per orbem universum ab omnibus recipi, quia nimirum in collectionibus canonum, quæ tunc temporis positissimum vigeant, insertus fuerit. ZACAGNIUS.

iniquis? « Quia esse, iniquis ad prædictum collo-  
cutorem suum, sanctorum animas in cœlo sacri elo-  
quii satisfactione credidisti, oportet ut per omnia  
esse credas et iniquorum animas in inferno; quia ex  
retributione interræ justitiæ, ex qua justii gloriantur,  
necesse est per omnia ut et injusti crucientur.  
Nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi ne-  
cesse est quod a die exitus sui ignis reprobos exu-  
rat. » Quæ nimirum cuncta idem veracissimus do-  
ctor non solum verborum sententiis, verum etiam  
rerum ostendit exemplis. Idem certe in præfato libro  
narravit, quod anima Germani episcopi in sphaera  
igneâ ab angelis fuerit in cœlum sublata. Idem quod  
sancti Benedicti per viam palliis stratam ad super-  
nam regionem perducta. Idem quod servuli hospi-  
talis paralytici ab internis cœlorum laudibus sus-  
cepta, ac super altissimos eorum cardines evecta.  
Idem quod sacræ virginis Scholasticæ ad æthereum

A thalamium in columbæ specie perducta. Idem quod  
venerabilis Romulæ ad perennem vitam cœlestibus  
exsequiis assumpta. Idem quoque dixit quod spiritus  
Gordianæ anitæ ejus gehennæ incendiis fuerit man-  
cipatus. Quod Hilliricianus monachus ad inferorum  
loca deductus, hujus sæculi potentes ac divites in  
medio flammarum viderit suspensos. Sufficit, satis  
est. Quis fidelium de hac re ultra dubitare potest?  
Mulum idoneus et iste testis est, contra cujus sen-  
tentias ire nefas est. Quapropter admonitos vos esse  
volo, quoscumque imperitissimus ille mendaciorum  
anfractibus a cœlesti sapientiâ deviare conatus est,  
ut ad procinctum fidei tendentes non quasso ranun-  
culi stridore a cœpto itinere deviemini, sed claris-  
sime resonantem supernæ civitatis tubæ clangorem  
sequamini. Hæc est mea pro vobis ad Deum de-  
precatio, hæc etiam ad vos mea salutatio. Amen.

## V.

### EPISTOLA CUJUSDAM.

#### QUID SIT CEROMA.

(Ex libro IV Miscellaneorum Baluzii.)

Quæstionculam mihi datam a vestra reverentia  
his diebus attulit familiaris noster Fredilo, in qua  
requirebatur quid proprie viri non incelebres intellex-  
erint esse ceroma. Id verbum fertur in auctoribus  
ingenuarum artium disciplinæ summopere præditis,  
necnon et apud nostros qui palmam Romani eloquii  
suo sæculo meruerunt. Quamvis igitur pueros et im-  
becilles nos judicent illi qui nervos et medullas ip-  
sumque, ut dicitur, sanguinem ex libris antiquorum  
eliciunt, sententiarum potius altitudinem quam ver-  
borum humilitatem persequentes, nobis tamen com-  
petens magis videtur a primis ad secunda conscen-  
dere quam, primis neglectis, temere ad secunda pro-  
ripere. Cum enim virtus eloquentiæ verborum splen-  
dore et sententiarum gravitate formetur, verborum  
decor primum est appetendus, tum demum senten-  
tiarum robur et lux intima est requirenda. Quam-  
obrem lumen et sensus dilectus verborum semper a  
studiosis est habendus, ne violata magistrorum re-  
gula confusa et inordinata commentia quæ tradit pro-  
rumpat. Hæc quidem generaliter prolata inconsultam  
extraordinariamque præsumptionem confutant. Nunc  
specialem hujus verbi habeamus considerationem. Et  
ut evidentiior via se ad hoc astruendum aperiat, altius  
quiddam censeo repetendum.

Ludi qui diebus festis causa religionis ad dele-  
ctandum populum a juvenibus agebantur, et quorum  
causa spectacula vario genere populo permitteban-  
tur, aut gymnici, aut gladiatorii, aut circenses, aut  
scænici nominabantur; quos tamen sibi diabolus  
sub invocatione deorum, imo dæmonum voluit exhi-

beri a mortalibus, ut sub obtentu pietatis et religio-  
nis miserorum animas in suum jus transfunderet.  
Ergo principalis ludus, quem gymnicum diximus  
fuisse, velocitatis ac virium gloria constabat. Is locus  
ubi exercebantur, gymnasium, et hi qui exercebant,  
athletæ vocabantur. Genera autem gymnici ludi ex-  
stitisse traduntur, cursus, saltus, jactus, virtus, et  
luctatio. Sed quia priore tempore cincti atletæ  
exercebantur, nec nudarentur quousque quidam re-  
misso cingulo prostratus exanimatusque in ludo  
apparuit, inde nata dicitur consuetudo ut deinceps  
juvenes nudi exercebantur capistris in parte ce-  
landa corporis succincti. Athletæ autem Græca ap-  
pellatione a laterum complexu et commissione di-  
cuntur, qui cominus decertantes adnixi persistunt,  
ne alter alterum quocumque casu falleret aut astu  
impediret, peruncto corpore olei liquamine; exerci-  
tatio quæ agebatur proprie ceroma vocatur. Locus  
autem destinatus luctationi palæstra vocabatur; qui  
inde trahit etymologiam, vel a luctatione, vel a motu  
urnæ, id est, sortis, eo quod ad palæstram sortito  
digerentur. Est ergo sensus proverbii: Oleum et  
impensas perdit qui mittit boves ad ceroma; quod  
sicut stolidum et brutum animal, quanquam robu-  
stum et vegetum, tamen exquisitæ arti est inutilis,  
quæ non tantum viribus, sed etiam subtilitate et in-  
genio propter lacertorum complicationem multiformem  
agitur. Quippe cum sint eadem animalia vasti  
corporis, ac propterea nequaquam scænicis motibus  
idonea, etiamsi more athletarum eis perfricatio ad-  
deretur, ita illi inertes judicantur qui a primis præ-